



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXV. De gaudio quod anima Deum amans ex infinita perfectione, ac beatitudine illius percipit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

## CAPUT XXV.

De gaudio, quod anima DE-  
UM amans ex infinita perfecti-  
one, & beatitudine illius perci-  
pit.

**A**Mor, uti personam amatam, qua-  
si alterum se amanti repræsentat;  
sic efficit, ut hic bona illius omnia  
sua esse credat, deque iis non se-  
cūs, ac de propriis gaudeat. Videre id licet  
in matre unici filii, quæ nihil habens in terris  
sua prole charius, nullam etiam gaudendi in-  
venit ampliorem materiam, quàm illius se-  
cundos eventus: quòd nempe integra valetu-  
dine utatur, quòd egregiæ indolis specimen  
præbeat, quòd in literis supra æquales profi-  
ciat, quòd in peculiari æstimatione, & gratia  
tum apud sodales, tum apud principem sit,  
quòdque ulteriorum ad honores, & dignita-  
tes primarias progressuum haud dubiam spem  
faciat. Næ, hisque similes filii prærogativæ,  
quis referat, quantum lætitiæ tenero piæ pa-  
rentis cordi afferant? Tanta voluptate illam  
complant, ut, quamvis non leves interim ha-  
beat sive à morbis, sive ab aliis infortuniis  
tri-

tristitiæ causas, plùs tamen de filii prosperitate exultet, quàm de suis angatur ærumnis: dicens secum in adverso quovis casu, saltèm meus filius meliori sorte fruitur: níl habet dolendum, lætus vivit, & felix. Hoc unum fati mihi est, ut animum à mœrore allevem, &, si minùs in me ipsa, in eo saltèm fortunatam me putem. Quales fuère olim Patriarchæ Jacobi sensus, cùm audiens filium suum Joseph vivere, & instar alterius Pharaonis regnare in Ægypto, *Revixit spiritus ejus, & ait, sufficit mihi, si Joseph filius meus vivit: & paulò post eundem in tam eminentis fortunæ fastigio suismet oculis cernens professus est, nihil sibi jam superesse ultrà in terris optandum, Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. (Gen. 45. & 46.)*

2. Facigitur, amari ab aliquo suum Patrem cælestem, quantùm hic Patriarcha amavit, vel mater illa amat suum filium; quis non videt, quàm uberem, immensámque habeat gaudendi materiam, dum secum reputat, suo illi Parenti nihil omnino possibilis gloriæ excellentiæ, perfectionis, & felicitatis deesse: nihil sive in magnitudine, sive in scientia, sive in operandi virtute, nedum ipsi par, sed minùs quàm infinitè inferius ipso esse: omnia en-

entia creata, summa, ima, media illius Dominio subesse, omnia ab illius arbitrio pendere, omnia, quidquid possunt, quidquid habent, quidquid sunt, ipsi acceptum referre: ipsum verò unum nemini esse obnoxium, nemine opus habere, à nemine vel atomum boni posse accipere, cum totam bonorum plenitudinem per se ipsum necessariò habeat in infinita sua essentia, tanquam in universali, unicoque illius fonte collectam? Et quì unquam fieri poterit, ut incomparabilis adeò amatissimi ab eo sui Genitoris felicitas ineffabili voluptate illius cor non afficiat, non omnem in eo sensum inæroris, & cuiusvis sui mali memoriam penitus deleat, non eum usquequaque expleat, satiet, ac beet? Certè, si quodvis personæ adamatæ bonum vim habet delectandi amantem, tantò magis hunc delectet, necesse est, quantò ipsum est majus. Quapropter, cum bona, quæ DEUS in se ipso possidet, quibuslibet creatis bonis infinito intervallo antecellant; quicumque illum amat, dum adeò divitem, adeò potentem, adeò usquequaque perfectum iutuetur; lætitiâ deberet indè haurire incomparabiliter majorem, quàm ex cuiusquam mortalis amici bonis percipere queat: imò tam immensa illius bea-

beatitudo deberet eum amantes in totum beatos efficere. Quod si tales re ipsa non efficit, duo in causa sunt defectus, exiguitas nempe amoris, & cognitionis obscuritas. Alioquin, si pro eo, ac meretur incomparabilis illius amabilitas, longè eum plùs amarent quovis alio à se amato, & amabili objecto, clarèque simul perspicerent, quàm immenso intervallo ejus felicitas omnem aliorum, qui amari à se possunt, felicitatem transcendat; fieri utique non posset, quin ex hac oblectationem caperent, illius immensitati respondentem, incomparabiliter scilicet quavis alia majorem. Prout revera omnibus cæli incolis evenit: qui propterea, quòd summopere Deum ament, & palàm intueantur, quàm sit idem supra modum omnem beatus; gaudium indè concipiunt, quod penè ad infinitatem accedit, neque à nobis vel intellectu dignè concipi potest, nedum fando explicari: ut proinde, si eorum quispiam mediis orci flammis, falva tamen DEI visione immergeretur, non idcirco & inter ipsas esse desineret, aut minùs quàm extra ipsas esset, quantum pertinet ad hujus nominis essentiam, beatus. Usque ad deò immensitas gaudii, quo plenum undique animum habet, omnem indè prohiberet atrocif-

cissimi illius, sed nimiò minoris cruciatûs tristitiam. Nè multa: ut, quidquid de iis dici posset, compendio eloquar; *Intraverunt in gaudium Domini*: Infinita beatitudo, & infinitum gaudium DEI eorum est beatitudo, atque gaudium: neque sempiternum illud *Alleluja*, quo eos jucunditatis, lætitiæque suæ plenitudinem exprimentes, aliam B. Joannes audivit potiore materiam, quàm incomprehensibiles Domini sui prærogativas habet: *Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, dicentium: Alleluja. Quoniam regnavit Dominus DEUS noster omnipotens. Gaudeamus, & exulemus, & demus gloriam ei. (Apoc. 19.)*

3. Hinc adeò, ut tam proprium divini amoris affectum nostro in corde excitemus, excitemusque quàm maximè vividum, respondentem objecti magnitudini, illique similem, qui in beatis cæli spiritibus viget; curandum nobis est omni ope, atque studio, quàm ardentissimum DEI amorem, quàmque exactissimam infinitæ illius perfectionis, atque beatitudinis notitiam concipere. Cùm enim naturale cuivis gaudio sit, mensuram suæ magnitudinis non ex bono duntaxat, quod possidetur, sed ex illius etiam cognitione, & amore illud possidentis desumere; quantò DEI

Y y

amor

amor fuerit in nobis ardentior, quantoque perfectiorem illius bonorum immensitatem habuerimus, tanto de eadem gaudere nobis plenius licebit. Et quando prædictæ duæ gaudii conditiones ad eum usque gradum in nobis pervenient, ad quem præstantes sanctimonix viri pertingere solent, nihil erit nostra in terris vita beatæ Cælitum vitæ similius. Nulli quippe adversorum casuum incursus tantam nos contristandi vim habebunt; quin ad exhilarandos, & gaudio complendos multò plùs valeant infinita illa bona, quæ à DEO possideri certa fide cognoscimus: poteritque nostrum quilibet inter quasvis ærumnas, & calamitates cum Habacuc Propheta lætabundus canere: (c. 3.) *Ficus non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus olive, & arva non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.* Negat mihi paupertas necessaria ad quotidianos, & communes vitæ usus subsidia. Neget! DEO meo ad plenissimam opulentiam, & felicitatem nil deest, aut deesse unquam potest. Quidquid penè consilii in eam, sinistros sortitur eventus. Leve malum, nec maximo carens solatio. Omnipotentis  
DEI

DEI mei arbitrio nulla vis impedimento est, quò minùs certissimo tramite finem suũ consequatur. Pertinacibus morbis confictor: Quid tum? At perfectissima interim DEI mei beatitudo extra omnem ictum, & aleam mali est. Si in me ipso ægritudinis, in eo voluptatis materiam, & oh quantò ampliorem reperio! Eveniat, quidquid potest adversi: ruat cælum, labet tellus, misceantur sus deque omnia: *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in DEO Jesu meo.* In summa: objicientes fortuitis, & naturalibus nostris malis contraria cælestis nostri Patris bona, cernentésque, quàm nulla proportione alia aliis respondeant, exuperanti horum dulcedine exiguam obruemus illorum amaritiam, & nostram vi amoris facientes ipsius beatitudinem, prius etiam, quàm intremus in cælum, *intrabimus in gaudium Domini*: vivendo, quantum in lacrymabili hoc exilio fas est, extra omnem tristitiam contenti exultantes beatorum Cælitum similes: & experiendo, quàm verè Laurentius Justinianus dixerit: *Hæc est inchoatio beatæ vitæ, gaudere in te, de te.* (In Lign. Vit. de Char. c. 10.) O exercitationem miræ dulcedinis, & sanè dignissimam, ut, quisquis, non dico DEUM, sed vel se ipsum amat, tam sedulam ipsi

operam navet, quàm cupidus beatitatis suæ est, cujus gustum hoc pacto in terris anticipare fas est.

4. Accedendo itaque ad illius praxim, perpendemus primò causas, quæ nos ad DEUM super omnia amandum impellunt, nempe hinc admirandam, & prorsus ineffabilem illius erga nos charitatem, tot adeoque singularibus, quæ tum in naturæ, tum in gratiæ ordine nobis contulit beneficiis testatam; inde verò incomprehensibilem pulchritudinem, & reliqua humanum captum excedentia, de quibus in prima hujus operis parte actum est, decora: excitantes nos geminis hisce stimulis ad eum impensissimè amandum, & in concepto ejusdem amore exprimendo, ac vehementius inflammando aliquamdiu persistentes. Secundò animadvertemus, quàm hæc decora illi, & nobis amabilem, & in se ipso etiam beatum efficiant, præsertim æternitas, bonorū omnium necessaria possessio, immutabilitas, sapientia, omnipotentia, & creatæ totius universitatis dominium. Si enim & finita dictarum perfectionum participatio felicem nobis hominem facit; quàm incomparabiliter major debet illius nobis beatitudo videri, qui eas omnes, & secundum totam amplitudinem in  
sum.

simplicissima sua essentia necessariò completitur? Tertiò hinc arguemus, quàm ingens à nobis percipi gaudium ex tam immensa illius perfectione, & felicitate par sit, ratiocinando hoc pacto nobiscum: quantum ego gauderem, si dimidia, si decima, imò si vel millesima hujusce felicitatis pars possideretur ab homine mihi amicissimo? Quantum, si eadem illius portio mihi ipsi possidenda obvenisset? Quantò igitur magis me lætari æquum est, cum illa non secundum aliquam sui partem, sed tota possideatur, & possessa semper fuerit, nec unquam possidenda non sit à cælesti Domino, quem amicis omnibus, imò & me ipso chariorem habeo? Quartò demum in festivas expressiones justissimi hujus gaudii erumpemus: congratulantes tum nobismet ipsis, tum cæteris rebus creatis, tum ipsimet nostro, & earum omnium Conditori de incomprehensibili illius beatitudine, & gloria.

5. Et quantum quidem ad nos ipsos poterimus hoc, vel simili pacto intimos animi sensus depromere. O meam verè felicissimam sortem! & quid mihi optandum jam superest, cum DEUM meum videam, suprà quàm desiderare unquam possem gloriosum, excellentem, beatum? Aut quid tam jucundum, tam-

que explendo meo cordi sufficiens consequi  
 possum, ut non multò jucundior, eique ex-  
 plendo aptior sit infinita ipsius summi, & uni-  
 ci amoris mei beatitudo? Eximia, fateor, fe-  
 licitatis locò mihi erit in cælesti gloria illo  
 frui. Sed quantò majorem felicitatem meam  
 puto, quòd ille æternùm se ipso fruatur. Eja  
 igitur, prodite obviam, quotquot estis, cala-  
 mitates, ærumnæ, infortunia. Non timet,  
 nè ullis vestris incurfibus ruat, cum tam im-  
 mobili nitatur fundamento, mei cordis lætitia.  
 Eripite, si libet, census, & prædia, eripite va-  
 letudinem, eripite libertatem, eripite homi-  
 num æstimationem, & gratiam, & quidquid  
 præterea obtineri in terris potest bonorum.  
 Rideo id genus jacturas, nullam vim habent  
 minuendi vel tantillò meum gaudium. Omnia  
 nimium quantum compensantur à felicitate  
 infinita, qua DEUS fruatur. *Gaudens gaude-  
 bo in Domino: & exultabit anima mea in DEO  
 meo.* (Isai. 61.) Si etiam compertum haberem,  
 æternis inferorum suppliciis citra DEI offen-  
 sam damnatum me iri; parùm abest, quin di-  
 cam, fore, ut damnationem hanc molestè non  
 feram, nec illius causâ contentus, & hilaris  
 vivere desinam, cum mihi ad leniendam suffi-  
 ciat omnem meæ illius summæ licèt miseræ  
 acer.

acerbitatem dulcis hæc cogitatio : si ego æternum cruciabor , DEUS quem plùs me diligo , per totam retro æternitatem fuit , pèrque totam porrò æternitatem erit beatissimus. O DEI beatitudo ! jam per amorem mea , obiectum longè inter omnia , quæ occurrere mihi possunt , lætissimum , tu es mihi cælum , tu votorum quies , tu centrum animi , tu summum meum bonum. In te una omnia invenio , tu totam repleas cordis mei capacitatem , ut nullus ibi locus humanæ alteri lætitiæ , ac voluptati supersit. Eveniat mihi ergo , quidquid prosperi , atque optabilis evenire in terris hominì potest. Effundat in meum sinum , quidquid habet censuum , fortuna. Conveniant in me cætervatim decora omnia , unde quis conspicuus in terris fuerit : potentia Augusti Cæsaris , gloria militaris Alexandri Macedonis , robur Samsonis , ingenium Aristotelis , eloquentia Demosthenis , scientia Salomonis. Indignum existimabo vel attendere ejusmodi bona præ infinitè majoribus , quæ collecta in te aspicio. Sacrilegii instar putabo , *non proponere* te summam omnium bonorum *in principio lætitiæ meæ* : imò posse lætari , præterquam de te , déque iis , quæ ad te pertinent , & felicior me credere ob terreni cujusquam bo-

ni additamentum, quàm ratione unius tui sim. Domine mi, qui Rex noster es solus, tu scis, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quòd est super caput meum, & nunquam latata sit ancilla tua, nisi in te Domine. (Vide c. 14. Esth.)

6. Hinc verso ad res creatas sermone iis quoque gratulari pergemus, eadèmq; in nostræ exultationis partem vocabimus. Euge res creatæ, cæli, elementa, plantæ, animalia, homines universi, *annuntio vobis gaudium magnum.* Supremus noster procreator, & Dominus infinitè est perfectus, contentus, beatus. Nulla re indiget, imò tantâ bonorum copiâ circumfluit, ut iis possit citra ullam felicitatis, opulentiaque suæ diminutionem innummerabiles alios mundos ditare. Quid ergo cessatis? *Venite, exulemus Domino, jubilemus DEO salutari nostro. Quoniam DEUS magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos. Gestiamus omnes, tripudiemus, plaudamus, concinamus hymnos lætitiæ. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate DEO in voce exultationis. Psallite DEO nostro psallite: psallite Regi nostro, psallite.* Proscribatur undique è rerum universitate omnis mœror. Nusquam audiatur vox querula, nusquam tristis facies occurrat. Sed in omnium oculis risus emicet: omnium è

è labris hilaritas resonet. Infinita DEI nostri opulentia, & felicitas non ipsi uni duntaxat, sed & nobis omnibus ad plenum satian-  
 dis par est: ceu solis jubar non ipsum tantummodo reddit lucidum, sed & nostrum simul hemisphærium illuminat. At quid video, audióque? Video nonnullos vultu nubilo, & fronte dejecta, in suspiria, in querelas, in ploratus erumpere. Et undenam iste luctus? Quæ nova calamitas, quíve accidit tam horribilis casus, ut perturbari indè possitis, cum alioquin certissimè constet, salvam, intactamque, & qualis semper fuit, permanere Dei vestri beatitudinem? Quæfiti diu honoris spe excidi: turpe crimen non sinè gravi famæ detrimento afflictum infonti est: magni momenti litem iniquo iudicio perdidisti. O causas! quæ sinè pudore afferri, & sinè stomacho accipi nequeant. Itane ergo tantulæ istæ honoris evanidi, & facultatum terrenarum jacturæ ad vos mœrore percellendos plùs valeant, quàm ad consolandos immensa vestri Conditoris opulentia, gloria, & majestas? Cùmque vehementiùs commoveamini tenuissimis quibusdam vestris malis, quàm infinitis quibuscunque illius bonis; jactare poteritis plùs illum à vobis, quàm vos ipsos amari? Ah non

bene conveniunt, imò nimium quantum hæc duo invicem pugnant, amare toto animo aliquem, & vix ullo felicitatis illius sensu affici. Age, reflectamus hinc oculos, quò digniora nos invitant spectacula. En alios, qui exporrecta, & hilari fronte gessiunt, plaudunt, triumphant, beatos se vocitant. Hi, hi enim verò sapiunt: hi cælestem suum Patrem, quo par est, amore prosequuntur, de infinita illius beatitudine, & gloria secum ità exultantes. Heu! quid loquor? Imò hi minùs adhuc eum diligunt: cum illius prorsus immemores non aliam charitatis suæ materiem, causamque habeant, nisi prosperos rerum terrenarum successus: hic ascensum ad altiorem dignitatis gradum, ille quæstuosam negotiationem, alius pinguis hæreditatis obventionem, aliique alia ejusdem generis lucra. Ah sensus plus nimio à germana, & perfecta charitate abhorrentes. De hisce reculis adeò exultare, quòd ad se pertineant, nihilque interim voluptatis percipere de inæstimabilibus bonis, quæ divinam beatitatem constituunt: perinde quasi, quæ ad DEUM spectant, extranea, & aliena ei esse possint, qui amoris vi in unum quid cum ipso coaluit? Eja, hos etiam relinquamus, vertamurque aliò quæsitum, qui justifi-

fi.

finæ hujus de incomparabilibus communis Domini prærogativis lætitiæ socios, atque adjuutores nobis se præbeant. At quem invenire usquam possimus ad id præstandum nobis aptiorem. O immortales cæli Spiritus! qui jam *intrástis in gaudium Domini*: in illud scilicet immensissimum gaudium, quo amato à vobis super omnia vestro Domino fruimini, quòdque, cùm illius gaudium sit, nequit vestrum simul non esse. Vos maximè proprias divini affectûs formas nobis tradite. Vos insonate nostris auribus æterna illa cantica, quibus assiduè ipsum exprimitis. Vos Seraphico vestro amore supplete reliquum illud ulterioris flagrantix, quò carnis, terrenisq; nostris cordibus pertingere haud licet.

7. Postremò, revocantes nostra gaudia ad primarium, æternúmque fontem. O DEUS! dicere poterimus, infinitè amabilis, imò mera, & infinita amabilitas, quantus voluptatis torrens in me exundat, dum te intueor tam potentem, tam gloriosum, tam divitem, tam beatum, augustissimum universitatis Rectorem, immensum omnis perfectionis pelagus, exaggeratissimam bonorum omnium summam? Quantum mihi cor laxatur in pectore, dum mecum reputo, nihil posse tibi unquam  
fe.

felicitatis deesse: nullo te ente creato, & creata quævis entia te omnino indigere: unum te plenissimè tibi ipsi, & creatis rebus universis sufficere: nihil posse sive à mea, sive à creata quavis mente concipi tam augustum, tam excellens, tam perfectum, tam grande, tam pulchrum; quin instar umbræ, instar atomi, instar nihili sit ad tuum maximum, pulcherrimum, excellentissimum, & perfectissimum Esse? Quantum lætitiæ, & jucunditatis inde haurio, quòd, cum tu necessariò, perque tuam essentiam sis omne bonum possibile; non ego duntaxat, sed & quidquid præterea hominum, Angelorùmque est, servi proffus tibi inutiles simus, utpote omnino impotes, non dicam tibi superaddere, sed vel desiderare minimum quodvis intimæ perfectionis, gloriæque incrementum. Laudetur æterno omnino ævo, & linguis omnium tam incomprehensibilis excellentiæ author: túque æternùm linguis omnium lauderis, qui eam totam, utpote prima, & universalis omnium causa, non nisi à te ipso habes. Immortales tibi gratias debeo, cum pro esse hoc humano, quod per merè gratuitam bonitatem largitus mihi es, tum pro aliis præstantissimis tot muneribus, quæ illi deinceps inexhausta charitate perre-

xi-

xisti adjicere. Sed longè plus gratiarum debere me agnosco, fateorque, pro infinito, divinòque isto Esse, quod, si ità loqui fas est, tibi dedisti. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Hoc majori gaudio me cumulat, arctiùsque tibi obstringit, quàm quidquid munerum vel accipi, vel accipere à liberalitate tua possum. Non alia de causa te palàm videre in cælesti tua Regia desidero, quàm ut perspectiorem habeam infinitam beatitudinem tuam, pleniùsque de illa & mihi gaudeam, & tibi congratuler. Dilata mei animi finem, quò fiat tam immensi affectùs capaci-or, & quodvis deinde aliud bonum mihi aufer: satis quippe ero de te, & in te uno beatus.

8. Hosce, aut similes sacræ sensus lætitiæ ab anima DEI amante iterari subinde par erit, tum fusiùs, & ex professo, dum meditationi ordinariæ vacat, tum raptim, atque obiter, dum diurnos inter actus ad DEUM erigit mentem. Sed maximè opportunum excitandis iis tempus fuerit, cùm ob casum aliquem suis rebus, & votis contrariù, importuno mœrore se corripit sentit: ità ut malis, unde conflictatur, bona tunc objiciat tantò majora, quibus DEUS in essentia sua fruitur, gaudioque ex his redundante tristem illorum sensum vel

re-

retundat, vel omnino etiam extinguat: quem admodum in permagno nectaris vase duæ, trésvé absynthii guttæ suam amaritiem amittunt. Atque hæc profectò certissima est ars, serenam, & hilarem turbulentissimis quibusque temporibus, vitam ducendi: ars à D. Paulo Philippenfibus tradita, dum iis scripsit: *Gaudete in Domino semper.* (c. 4.) Ubi, ut animadvertit Chryfostomus, (Hom. 18. ad Pop.) non simpliciter dixit, *gaudete semper*: (id enim in vita hac ærumnosa impossibile visum esset) sed addidit voluptatis causam, cum dixerit: *Gaudete in Domino semper. In Domino gaudens ex accidente nullo voluptate hac excidere potest. Alia quippe, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, & transitu facilia.* Quapropter maximopere admirandum videtur, quòd, cum homines lætitiæ avidissimi sint, neque eam alibi usquam ità plenam reperire, ut in DEO, possint; ubique tamen potiùs, quàm in ipso illam querant: confugientes, ubi quid molesti acciderit, ad solatia terrena, quæ neque in promptu semper sunt, nec medendo eorum dolori sufficiunt: sinè ulla interim recordatione illius summi, & communis boni: cujus immensam felicitatem si attenderent, amorisque vi efficerent sibi propriam; ex inexhausto illo  
 fon-

fonte uberrimam possent in animos suos derivare sincerissimi gaudii dulcedinem, suavissimoque illius gustu sensum omnem adversorum casuum, & mœroris indè orti abolere.

9. Audiant, qui ejusmodi sunt, consolationem à Seneca missam Polybio, fratris mortem lugenti: pudeátque, quòd infinita DEI beatitudo, atque gloria minùs valeat ad eosin quibusque ærumnis solandos, quàm illo Philosopho authore deberet terreni Principis potentia, & majestas valere ad quemcunque ex familiarium ipsius animis abstergendum mœrorem. *Adjice nunc, ( ità Scriptor citatus ) quòd, cum semper prædices, chariorem tibi tuo spiritu Cæsarem esse; fas tibi non est, salvo Cæsare de fortuna queri. Hoc incolumi, salvi tibi sunt tui: nihil perdidisti. Non tantùm siccis oculos tuos esse, sed & latus oportet. In hoc tibi omnia sunt, hic pro omnibus est. Adversùs felicitatem tuam parùm gratus es, si quidquam hoc salvo tibi flere permittis.* O verba, quàm vaniloquo, & meram per assentationem scripta Liberto Claudii, stupidissimi Cæsaris; tam digna, ut quivis DEI servus ea sibi inculcet: ceu illud etiam monitum, quod idem Seneca ibi attexit: quòdque pro præsentis materiæ clausula, & coronide cuilibet Christianorum ob res adversas mœrosto

sto hinc subijcio, monens duntaxat, ut, ubi nominari audit Cæsarem, DEUM mente concipiat. *Attolle te, & quoties lacrymæ suboriuntur oculis tuis, toties illos in Cæsarem dirige. Sic cabuntur maximi, & clarissimi contemplatione numinis. Fulgor ejus illos, ut nihil aliud possint aspicere, præstringet, in se hærentes detinebit. Hic tibi cogitandus est, hic contra fortunam advocandus. Quamdiu numen tuum intueberis, nullum tristitia ad te inveniet accessum. Omnia in te Cæsar tenebit.* (De Consol. ad Pol. c. 26. & 31.)

## CAPUT XXVI.

De incensa cupidine animæ DEUM amantis, ut suo Domino perfectè ab omnibus serviatur, & acri dolore ob injurias, quæ peccando eidem fiunt.

**I**N perfectissima DEI essentia nullam amor desiderii, aut doloris, sed purissimi tantum gaudii materiam reperit. Cum enim objectum desiderii sit bonum absens, & doloris malum præsens; quemadmodum nihil in Deo boni deest, nil mali adest; sic nullam in ipso  
amans